
PAPA PIO XI AL BARONE VON PASTOR

PIUS PP. XI.

Dilekte Fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Cum, exeunte hoc mense, integris mentis corporisque viribus septuagesimum acturus sis natalem tuum, quos in Oenipontana studiorum Universitate habuisti olim vel discipulos vel in docendo conlegas, ii parant, ut nuperrime accepimus, conspirantibus quidem ceteris quorum tibi amorem admirationemque conciliasti, praecipuis te venerationis letitiaeque suaे honestare testimoniis. Qua in meritorum tuorum commemoratione num Romanum Pontificem, num Nos, qui tanti te laboresque tuos facimus et vetere tecum necessitudine coniungimur, silere deceat aut primas partes cuiquam cedere? Praedicent quidem ii omnes, quotquot te quondam in celebri Athenaeo multos annos audierunt, summam illam tuam rerum gestarum cognitionem cum peracuta iudicii subtilitate incorruptaque veritatis studio coniunctam, seque beatissimos putent quod idem studium eandemque vestigandarum existimandarumque rerum rationem, ductu tuo, hauserint ac veluti imbiberint. At vero opus tuum princeps omnibusque expletum numeris, quod est *Historia Romanorum Pontificum*, Apostolica Sedes, hac opportunitate data, per Nos publice dilaudat atque extollit veluti iure suo et tamquam rem suo fotam gremio, quandoquidem immortalis memoriae decessor Noster Leo XIII Tabularium tibi primo patere iussit, unde litterarum monumenta pene infinita in lucem eduxisti, quibus narratio tua niteretur. Tu autem, Dilekte Fili, ad tam grande opus eam attulisti ingenii aciem